

*Bibliothèque numérique*

medic@

Allouel, Pierre-Michel - candidat /  
Mertrud, Jean-Claude - président. - De  
variis in perinaeofistulis

1763.

*Paris : Typis P. AL. Le Prieur,  
Regii Chirurgorum Collegii  
Typographi.*

*Cote : ms 2342, n°89*

DE VARIIS IN PERINÆOFISTULIS.  
**T H E S S**  
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ

*Quas, Deo Juvante, & Præside M. JOANNES-  
CLAUDIO MERTRUD, Artium & Chirurgiæ  
Magistro, Regiæque Chirurgorum Academiæ Socio, tueri  
conabitur PETRUS-MICHAEL ALLOUEL, Parisinus,  
in almâ Universitate Parisiensi, Artium Liberalium Magister.*

P A R I S I I S.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

*Die Veneris 8 Julii, à sesqui secundâ post meridiem ad septimam.  
Anno R. S. H. 1763.*

PRO ACTU PUBLICO  
ET  
MAGISTERII LAUREA.



Typis P. A. L. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii  
Typographi.

---

M. D C C. L X I I I.

DE AARHUSIENS ERNSTIUS

THESES  
ANATOMICE ET CHIRURGICAE

Deo Juvante & Dilectissimo IOANNI  
CLAUDIO MERTUDI, AVIUM & CHIRURGIE  
MSBilio, Leidens Chirurgie Academico, et  
cooperante Fratris-Michiati A. D. G. S. Galgano  
in aliis Universitatibus Prodigio, Aliisque Prodigiorum Medicorum.

LAURELLIS.  
IN REGIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

Dic Namque & Regi, & Regi, quod vobis ad voluntatem  
Vnde R. L. H. dicit.

PRO ACTU RUBRICO  
ET  
MAGISTERII IAVARTI



This is A. L. P. R. Regi Chirurgie Collegii

Typographi

M DCC LXIII



**D. O. M.**  
**THESES**  
**ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.**

**P**ERINÆUM, ut Corporis humani partes cæteræ, ab innumerâ morborum serie vexari quis dubitabit, si prudens artis, intelligat quot & quām graves, in illo, celebrentur operationes? quis enim alius urinæ, contra naturam, in laborante vesicâ latentis, exitus? (1) Quæ alia, pro calculo foras educendo, via? A vario apostematum, calculorum (2), in textu cellulari nidulantium, diversoque Syphilidis symptomatum genere, quid illi non sit metuendum, nemo non noverit. Scyllam hanc cavebit audacior & rei Chirurgicæ rudis manus, quæ, vel audierit, raram mentem intelligere quod in interiore latet

(1) D. Flurant Lugdunensis, aliam urinæ educendæ viam proposuit, scilicet per induc̄tam, ab intestino recto, in vesicam acum triquetram cuius icones reperiuntur, libro Domini Pouteau, cui titulus: *Mélanges de Chirurgie*.

(2) Clariss. Louis act. reg. Chirurg. Acad. Tom. III. A

4

angulo: si enim partes, in Lithotomiâ, aut dilacerationes paf-  
fæ fuerint, aut damnosa instrumentorum farrago, moras, in illis,  
fecerit longiores; si, vanâ brevitatis jactantiâ delusus operator,  
mendacem ad cicatricem pervenerit; quot decipiuntur crudeli-  
tatis victimæ, in Corvum olorem mutari Lugentes! hinc fre-  
quentiores, in Perinæo, fastidii plenæ omnes, Fistulæ, quas,  
præmissis quibusdam Anatomicis, debellare tentabimus.

INTER anum & partes generationi dicatas, deprehenditur,  
in viro, spatum quoddam fere triangulare Perinæi nomine:  
ab utroque Ischii tubere laterales habere limites, ab ano ad os-  
sium pubis arcum, lineâ saliente, proferri videtur.

ISDEM, quibus cæteræ Corporis partes, integumentis,  
Perinæum obvolvi gaudet: cellulari textu, adipi, musculis,  
diversique generis vasis instrui constat: substantiæ tenuis, laxæ  
maximâque elasticitate donata cutis; cellulare reticulum; lar-  
gum, tendinosum, communicantibus inter se, parcâ pingue-  
dine, cellulis, componitur.

SEX in Perinæo reperiuntur musculi generationis dicati par-  
tibus: Priores duo, ischio-cavernosi, seu erectores, utriusque  
tuberis ischii, facie affixi, lato tendine, corpora cavernosa  
obtegunt & illorum inferuntur connexioni: horum contractio-  
ne mutuâ, fit erectio penis.

Acceleratores alii, seu bulbo-cavernosi ad urethram spectant;  
musculum efficientes penniformem, partim ab ani sphincteribus,  
partim ab ossium pubis synchondrosi oriuntur, corporibus ca-  
vernosis bulboque, cuius spongiosam & inferiorem ambient par-  
tem, inferuntur: horum actio urethram comprimit, ita ut, in  
coitu, præceps semen erumpat.

TRANSVERSI tandem, seu triangulares musculi, ex Ischiis  
internâ rami facie orti, ad urethram pergunt, quam, ab utro-  
que latere, amplectuntur mutuâque distendunt contractione.

QUATUOR, insuper, annumerat, quos in prostaticos superiores  
& inferiores dividit Clariss. Winslow (1) Prostatici superiores,

(1) Exposit. anat. de part. Gener. pag. 572.

ex ossium pubis, ramorum internâ facie, inferiores vērō, ex ischii cum osse pubis unionē, feruntur ad prostatas quas, hi superius, inferius illi, obvelant.

CORPORA cavernosa sunt illæ partes cylindricæ, spongiosæ, quæ, utrique ossium pubis Ramo alligatae, è peculiaribus thalamis (1) in unum jugatae, penem pro maximâ parte constituant, & ad glandem, cui inseruntur, desinunt.

URETHRA canalis est membranaceo-tendineus, ferè cylindricus, vesicæ continuus collo, urinæ nec non femini præbens exitum, in sulco, inter corpora cavernosa, situs, cum his mutuo conatu, parique progressu, ad glandis usquè orificium protendit, calami scriptorii diametrum non malè referens: dupli confatur membranâ, exteriore aliâ, alterâ interiore, quas inter, substantia spongiosa, sive cellulosa, extenditur. Exterior rara, tenuis, subtilis, & à textu cellulari vix differens, interna vērō, densa, strictrior.

BULBUS, sive urethræ protuberantia, pars est quæ prostatae glandulæ proxima, pollice, ut plurimum, longa, minorem quodammodo cepam refert; variis intus ditatur foraminulis, quibus liquor viscidus mucosusque, urethram lubricans, eructatur, contrà urinæ acrimoniam, præsidium non inutile.

VERUMONTANUM caruncula quædam est, in urethræ parte, quam ambiunt prostatae, conspicua, caput gallinaginis, à quibusdam, nuncupata (2).

PROSTATAE (rectius prostatam dixeris) corpus unicum, globosum, cordiforme, bulbum inter & vesicam, urethræ principium cingit (3) hujus extremum duplex; anterius apex, posterius vērō basis dicitur.

IN prædicto urethræ principio, eminentia quædam surgit, duobus gaudens osculis, quibus liberum, inter ductus ejaculatorios feminalesque vesiculos commercium instituitur: proximè

(1) Santorin, pag. 88.

(2) Heister. Compend. anat. de part. gener. virorū.

(3) Cheselden, de Lithot, tab. VI,

adsunt canales prostatæ excretorii ; albicantem ; in urethram ; quo leniri possit , liquorem effundentes.

**ANTIPROSTATÆ** sunt illæ glandulæ , propè bulbum , in urethræ textûs spongiosi lateribus sitæ ; tertiam posterius describit Clariss. Winflow (1).

**VESICULÆ** seminales receptacula sunt duo , membranacea ; cellulosa , pyramidem , aut tritici Spicam , similitudine ludentia ; album hæc referunt colorem , tres ut plurimū digitos , robustis , in longitudinem prolata ; horum obliqua , rectum inter intestinum & inferiorem vesicæ partem , positio , ita tamen , ut ad laterales vesicæ partes versus ipsius fundum basis emergere , apex verò ad collum pronus tendere videatur. E membranâ , tendineis quibusdam & elasticis fibris munitâ , varie , varias inter se communicantes cellulas efformante , constant vesiculæ Seminales ; has undique cingit peritonæum ; ex utrâque vesiculâ , dupli sèpius orificio , in urethram desinens ductus nascitur excretorius ; è vasis deferentibus semen accipiunt , perficiunt acceptum , expellunt denique , si , moræ impatiens , luxuriatur ut erumpat.

**PRÆDICTARUM** partium vasa sunt arteriæ , venæ , nervi , & vasa lymphatica : arteriæ ab iliacis internis seu hypogastricis , pudendis , veniunt & cruralibus ; reducem in hypogastricas & crurales ferunt sanguinem venæ . Nervi à sacris & lumbaribus ; in glandulas inguinum & pelvis , lympham vehunt vasa lymphatica.

**U**LCUS Callosum , Sinuosum , ab angusto cavum , ut in aliis partibus sic in Perinæo , Fistula audit , in completam , incompletam , simplicem & complexam , dividi solita.

**SIMPLEX** , unico , sive intus , sive extus , stipata foramine ; unicam , tuto itinere , indicationem ad curam exhibet.

**COMPLEXA** pluribus instructa Mæandris , ab urethrâ , vicinas in partes , putà , Scrotum (2) , prostatas (3) , vesicam (4) , anum ,

(1) Exposit. anat. de part. gener.

(2) D. Petit. in act. reg. Chirurg. Acad. Tom. I. pag. 619.

(3) D. Plater. Obs. Chirurg. Lib. II. Obs. XXXIII.

(4) Clar. Ledran oper. chirurg. pag. 343 , & seq.

7

inguina (1); imò & abdomen latius atquè altius serpit; & divagando, periculosos multiplicesque fudit sinus.

COMPLETA utrinquè patens, urethram simùl & cutem rimatur, incompleta, aut urethram duntaxat, illæsâ cute, & cæca interna, aut cutem afficit, salvâ urethrâ, tûm cæca externa dicitur.

ANGUSTIOR; in Lithotomiâ, tegumentorum sectio, ex quâ scroti vicinarumque partium ingurgitatio periculosa, (timidæ aut malè paventis manus operatio) turundæ vel tubuli, longior usus, vel horum in vulnere mora, aut deligationis, (quod pejus est) damnosa proscriptio (2), urethræ, aut ipsius vesicæ laceratio gravior, Stillantem inter urinam, Corrodens arenosa suppellex (3), incautè curata perinæi aut vesicæ punctura, Ictus, Lapsus, Syphilidis Lues, infaustaque variï generis symptomata &c, totidem hæc, in Perinæo, fistularum causas habeto, pro diverso corporis habitu, plus minusvè pertimescendas.

VISU, tactu, specillo & excretione ut plurimum, dignoscitur Perinæi fistula: foraminis in cute aut urethrâ callositas, parva, primo pede, mox extensa cavitas, tumoris socia fluctuatio digitum monens, comes inflammatio ægrotanti noxia, guttatiùm hinc stilans, pure vel sanie permixta, aut retenta diutiùs urina aliaque id genus, signa, sagaci oculo, fistulam exhibent.

LÆSA de parte, causis, accidentibus ac diathesi prognosis educenda: si externo ab ulcere, iictu, lapsu, sano in homine, fistula devenerit, prognosis insurgit nihil secum offerens periculi; molestior verò, si, erosæ ab urethræ defectu pendeat. Si à dilacerationibus nimiis urethræ aut vesicæ, in Lithotomiâ, vel turundis tubulis, in ipsius curatione, nimiùm diù servatis, infausta; molestissima tandem & pericolosissima, si, multiplices

(1) Marchettis; Obs. LXI. pag. 256.

(2) Hæc fuit anno 1698, Fratris Jacobi gallicè, *Frere Jacques*, methodus; & si quis ei deligationis necessitatem suadere volebat, hoc erat refponsum: je lui ai tiré la Pierre, Dieu le guerira. Contra hanc methodum graviter infur-gunt DD. Dionis oper. chir. de lithot. ed. V. p. 243. Heister insit. Chir. Tom. II. pag. 907. Ex eo quod fistulis, & gravioribus accidentibus locum Det.

(3) Clariss. Louis in act. jam citatis.

in sinus divisa, ad interiora se extendat, partesque tum molles, tum osseas, corrodendo, perlustret: in prostatis simili schirrum adesse singamus: non curabitur nisi prius sanefiat prostata, quod difficillimè accidit.

QUANTUM ad curam spectat, varia practicorum sententia: illi causticis instrumentum (1) instrumento illi caustica (2) præponunt; satius vero credimus esse, pro vario fistularum genere, diversam induci therapeiam. Etenim si fistula simplex & externa, nullique sauciata veneno, sublato, causticorum ope, callo, arcæ aut nativum juvabit balsamum admovere, & tunc ad cicatricem liberè eundum.

Si simplex & interna, cereolis primùm emollientibus, deinde suppurantibus, detercis demùm & exsiccantibus medicaminibus obvolutis, opus est ad curam.

DENIQUE: si complexa utrinquè pateat, si varios in sinus abierit, partes intùs, furens, dilaceret, dura corrodat, citus ad operationem propria: tunc ergo in lecti margine, aut subfellio, quali in calculi curatione utimur, positio; immisso in vesicam cavo Cathetere; sinus evolvere, indurata fistulæ latera citò tunc exscindere; ossibus demùm, si caries urgeat, ferrum, immò candens intromittere ne dubites. Mox ulceri sanioso succederet cruentum vulnus, pro artis legibus deligandum, &, per adhibita suppurantia, mundantia & exsiccantia medicamina, ad constantem solidamque cicatricem conducendum.

Si venereæ luis, Scorbuti, Strumarum; aliisvè cujuscumque morbi comes sit fistula, adhibitis, in quantum fas erit, cuiquè morbo, specificis, prædictam sufficere therapeiam confidenter asserimus.

(1) Marchettis, Obs. Chirurg. Obs. LXI. Plater. lib. II. obs. XXXVII.  
D. Heister. instit. Chir. de Perinæi fist. T. II. pag. 948.

D. Petit. in act. reg. Chir. Acad. pag. 620.

D. Ledran. oper. Chir. de Perinæi fist. pag. 365.

(2) Toletus. tract. de Lithot. pag. 318.

Pye. Obs. Lithot. de fistula Perinæi. pag. 18.

Douglas. in hist. later. operat. appar. pag. 19.